

Similiter omnibus discipulis præcepit prædicare Marci, vlt. & Matth. vlt, soli tamen Petro fuit dictum, Pasce oves meas, eo quod ipse fuit Prælatus Apostolorum, Petro enim primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, ut constat ex verbis Domini predictis. Tu es Petrus, &c. hic ergo ligandi soluendique potestatem primus accepit à Domino, primusque ad fidem populum suę predicationis virtute adduxit, verboque instituit: ceteri vero Apostoli cum eodem parati consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque Principem eorum esse voluerunt, qui etiam iubente Domino in toto Orbe terrarum dispersi, Euangelium predicaverunt.

¶ Nonum dubium est: Vtrum presentatio hęc Regularium in uno Episcopatu sufficiat pro omnibus Episcopatibus, ita quod presentatus in uno Episcopato non indigeat presentari, & approbari in aliis ut idoneus censeatur confessarius? Noster Doctissimus Pater Frater Antonius de Corduba Provincie Castelle olim Minister Provincialis in Annotationibus ad Compendium ver, Absolutio, quo ad seculares. §. 16. refert opinionem